

1761.

6. Hinacus, Christianus; Rektor acad. Helmberg: Gimbas academicis s. p. d. (ad festum S. Michaelis pri celebrandum cohortatur)
7. Kuegelius, Iacob. Corp. Christianus: De cunctis psaram (avisarum) privilegiis
8. Kraunus, Georg. Friburcensis: De emphyticoesos enumeratione iusto domino invicta.
9. Kraunus, Georg. Friburcensis: Theser juris controversi ex doctrina panteclarum de roxali de pauperie actione
10. Mendes, Leonardus Lutronicus: De auctoribus exuris et ruinosis
11. Pivinus, Aureo Florus, Ord. iuridicii . . . decanus: Lectio benevoli s. (ad repudiationem Hipp. Christiani Wentoris iustitiae)
12. Pivinus, Aureo Florus: De successione conjugis una cum heris ex Statuto Zittaviensi



Observationes

13. Rivinus, Andreas Flores: *De successione
partis ecclesiasticae de cathedralicis iurisnominiis
et emphansticis*

14. Tius, James Daniel: *Vim elementorum repre-
sentativam Dissertatione metaphysica : - .
publice aperuit*

15. Tius, James Daniel: *Summum jas columnia*

16. Werner, Michael Grosser: *Licitissima nova
artis juris praeventionis ergoque doctrinam perfici-
entia*

16 f. Wüstemann.

9772
No: 781
DE
VITRICO
TVTORE PRIVIGNI
MINVS SVSPECTO

PRAE S I D E
ERNESTO MARTINO
CHLADENIO D

DIGESTI INFORTIATI ET NOVI PROFESSORE
PVBLICO ORDINARIO CVRIAЕ PROVINCIALIS
CONSISTORII ECCLESIASTICI SCABINATVS
ET FACVLTATIS IVRIDICAE ITEMQUE IVDICII
PROVINCIALIS IN MARCHIONATV LVSATIAE

INFERIORIS ASSESSORE

DIE XII. OCTOBris A. R. S. cia 15 CCLXI.

IN AVDITORIO MAIORE

PVBLICE DISSERET

ADOLPHVS EHREGOTT SCHEDLICH
SCHNEEBERGENSIS.

VITEMBERGAE
EX OFFICINA GERDESIANA.

DE
VITRICO
TUTORIA PRAEVAENI
MINAS ASPERCO
PRAEVA
ERNSTO MARTIO
CHRISTIANO

DIGESTA INSTITUTA ET NOMINA PRACTICARUM
LARTIO CEDONARIO CAROLAE BOVIAE
CONSTITUTIONE SECRETISIVS ET SOLVIMENTA
THEATRICALIA LATROGICIS ET MUSICA THEATRUM

INTRODUCTIO IN MUSICALIA THEATRUM
INTRODUCTIO AVESCARIA

SIC ET OCTAVIANA E S. G. DE L'ESPRESS

IN LIBRARIIS MARCHIO

TATIEA DISSETA

ADOLFUS EHREGOTT SCHEDLER

ET HABENS PRAEFACTA

MATERIALE

ALIAS PROGREGA ZE QUITZOW



DE
VITRICO
TVTORE PRIVIGNI
MINVS SVSPECTO.

I.

SAPIENTISSIME hoc prouident leges civiles, ne ad tutelam vocetur, nisi quem morum honestas animique candor commendet, et cujus spectata fides certum omen faciat, ejus studio et consiliis bene pupillo, bene etiam rei pupillari, consultum fore. Cum enim tutor patri impuberis in OFFICIO PATERNO, quod matura ejus mors interceperat, succedat, ipsa res postulare videtur, ut succedaneus detur homo bonae notae, a quo sperari possit, eum PATERNAE CARITATIS AC PIETATIS aemulum futurum, et in expediendo officio ita versaturum esse, ut, patre licet extincto, PATERNA tamen SOLICITUDO non desideretur.

A 2

II.

II.

SED hoc ipsum, quod proposui, dogma insignem difficultatem mihi iniicere videtur, cum vitricum TUTOREM PRLVIGNI MINVS SUSPECTVM sistere aggredior. Audio enim, adeo suspectum videri vitrici affectum, ut ab eodem magis infidiae metuantur privignis, quam paterna caritas et solicitude speretur, imo ipsam VITRICI appellationem excludere praesumtionem pietatis, candoris, et fidei. Quid ergo? An tutum consultumque erit, privigno impuberi tutorem dare vitricum, hoc est, pupilli vitam et fortunas concrederet homini malae, aut certe dubiae, notae, ex cuius solo nomine omen suspicionis capi potest? Vtrumne reclamabunt leges civiles, quae suspectum quemque aut non admitti ad tutelam, aut, si admissus, removeri volunt?

III.

NEQUE vulgi tantum opinione sustinentur istae, quibus ordinis vitricorum obruitur, criminaciones. Ipsi legum interpres, etiam praefantissimi, subinde illis robur addunt, suo assensu. Ut exemplis res illustretur, ex multis loquatur BENE-DICTVS CARPOZOVIVS: ^{a)} *Vitricus in dubio praesumitur odio habere privignos.* Et iterum: ^{b)} *Subest periculum, ne vitae privigni insidietur vitricus.* Dicat sententiam MEVIVS: ^{c)} *Vitricus et privignus odio mutuo laborare, et sibi invicem suspe-cti, praesumuntur.* Respondeat BRUNNEMANNVS: ^{d)} *Iura de vitricorum affectu male praesumunt.* Si audire velis CHRISTOPHORVM KORMARTE, ^{e)} *Vitrici consilia, perinde ac nover-
cae,*

cæ, fraudulenta praesumi solent. Imo non desunt, quibus' vi-
sum est, ipsum Vitrici etymon, in quo eruendo mire torquent
ingenium, suspicionis certissimum praebere argumentum.
Aiunt enim, vitrici nomen compositum esse e vocibus **vis** et
TRICO, ideo, quia vi alienam gentem ingrediatur, ejusque
rem familiarem **TRICIS** et rixis implicet. An argute, Le-
ctoris esto iudicium.

- a) BENED. CARPOVIUS *Iurispr. For. Part. II. Conf. X. def. 25. n. 4.*
- b) IDEM libr. cit. Part. II. Conf. XI. def. 42. no. 5.
- c) DAV. MEIVIUS *Comment. ad Ius Lucei. Tit. I. art. V. n. 14.*
- d) IOANN. BRVNNEMANNVS *ad L. 15. C. de negentiis gestis.*
- e) CHRIST. KORMARTE *Tract. de Iure Consiliorum. Cap. X. Sect. I. thes. 23.*

IV.

Ab istis quidem Doctoribus, qui, praesumptionem iuris
contra vitricum militare, contendunt, fas erat, legem,
quae praesumptionem illam firmet, excitare. Pars
provocat ad Imperatoris ALEXANDRI oraculum, f) quod ne-
gar, matri educationem pupilli committendam esse, si VI-
TRICVM illa induxit. Pars quaerit praesidium in Constitu-
tione GORDIANI, g) quae vitrico repetitionem alimentorum,
privignae erogatorum, indulget, si illa erogaverit repetitus,
non vero, si PATERNO AFFECTV. Pars nititur auctoritate
Imperatoris CONSTANTINI, h) qui graviter: *feminae immo-*
devatae et intemperantes plerumque NOVIS MARITIS non so-
lum res filiorum, sed et vitam, addicunt. Pars denique exci-
tat **GAI** effatum i) de NOVERCALIBVS DELINIMENTIS et

INSTIGATIONIBVS, quibus facile corrumpantur parentes, ut maligne circa sanguinem suum inferant iudicium. His legum argumentis, aiunt, accedere quotidianam experientiam, quae doceat, nihil frequentius esse domesticis illis inter vitricos et privignos iurgiis, nihil etiam pertinacius, quam odium vitri erga privignum.

f) L. 1. C. ubi pupilli educari debeant.

g) L. 15. C. de negotiis gestis.

h) L. 22. C. de administratione tutorum.

i) L. 4. D. de inefficio testamento.

V.

His quidem, et fortasse aliis, suspicionis argumentis fere obruuntur Vitrici. Quid ergo mirum, quod disceptetur, utrumne vitricus a privigni tutela plane sit repellendus? Diversae sunt disceptantium sententiae. Alii simpliciter repulsam dant vitrico, tanquam homini, ex ipso omni nominis suspecto. Alii, regulariter admittendum eum esse, censent. Alii denique erescundos se praestant doctores in hoc argu-
mento. Aiunt, in regula quidem repellendum esse, sed, pro re nata, quae exceptionem faciat, admitti posse vitricum, praeviae causae cognitione, nimurum, si ille sit honestae famae, si nullis suspicionibus sit obnoxius, si cognati causam repugnandi non habeant. Ita, praeter alias, BENEDICTVS CARPOVIVS, ^{k)} ita SIGISMUNDVS FINCKELTHAVSIVS, ^{l)} et, qui utrumque sequitur, PETRVS MÜLLERVVS. ^{m)} Imo ad hanc classem etiam accedere videtur NICOLAVS CHRI-

STO-

ITEM

8 A

STOPHORVS L. B. DE LYNCKER, ⁿ⁾ cum ait: *Obngeachtet manchmahl ein Vitricus der Stiefkinder Vormund seyn kan, et alibi: o) ALIQVANDO vitricus tutor esse potest pupillo; itemque CHRISTIANVS WILDVOGELIVS, p) qui ita respondit: Dieweil die Vormundschaft derer Stiefkinder, sowohl auch deren Auferziehung, dem Stiefvater in denen Rechten nicht gänzlich benommen, sondern auf gewisse Maasse erlaubet ist.*

k) BENED. CARPOVIVS *Juriepr. For. Part. II. Conf. XI. def. 43.*

l) SIGISM. FINCKELTHAVS, *Obs. 53. n. 21.*

m) PETR. MÜLLERV ad STRVII Syntagm. *Jur. Civ. Exerc. 31. §. 30. lit. V.*

n) NIC. CHRIST. L. B. DE LYNCKER *Centur. X. Dec. 959.*

o) IDEM *Analect. ad STRVII Synt. Jur. Civ. Lib. XXVII. Tit. 2.*

p) CHRIST. WILDVOGELIVS *Responf. 155. n. 16.*

VI.

VT temperata videatur haec, quam postremo loco re-
censui, sententia, utut etiam tutum alias credatur, me-
dia via incedere, malim tamen cum illis agere, qui, vitri-
cum regulariter admittendum esse, non dubitant. An enim
fallar, si habilem et idoneum tutorem dicam unumquem-
que, quem leges civiles non repellunt? At inter has nulla
reperitur, quae neget, vitricum posse privigno tutorem dari.
Imo potius reperies quaedam capita, ex quibus tuto colligere
poteris, Jus civile illum pro idoneo tute habere. Imper-
ator ANTONINVS, cum rescripsit, q) permittendam esse TV-

TORI



VIII

TORI adoptionem PRIVIGNI sui, eo ipso approbavit iudicium ejus, qui vitricum privigno tutorem dederat, imo, ut significaret, se nihil insidiarum metuere a vitrico tutore, huic induxit maius aliquid, nimirum ut etiam adoptare possit privignum. Deinde, Imperatorum DIOCLETIANI et MAXIMIANI aetate, tutelam vitrico deferri consuevit, intelliges ex specie, quam hi Imperatores in rescripto ad Thesidem ⁱ⁾ proponunt. *Si pater tuus, inquiunt, quem PRIVIGNI SVI TUTELAM ADMINISTRASSE proponis, testamento recte facto, pupillo etiam quondam herede suo instituto, decessit.* An ambiges, ex mente horum Imperatorum, recte deferri vitrico tutelam sui privigni? Quid denique est, quod ALEXANDER^{s)} concedat, *TUTORREM nuptias posse contrahere cum MATRE PUPILLAE*, neque simul eum iubeat removeri ab administratione tutelae? Sane hic Imperator sensit, nihil esse, quod tutorem reddat suspectum, licet pupilli pupillaeve sit vitricus.

g) L. 32. §. 1. D. de adopt.

r) L. 3. C. de contrar. Judic. tutela.

i) L. 2. C. de iuerdict. matrim.

VII.

CERTE, si rem ipsam consideres, nullum est suspicionis hujus fundamentum. Ut plenius hoc intelligatur, producam par vitricorum, CAIVM et SEMPRONIVM, animi insole et moribus sibi dissimillimos. CAII perversos mores nemo non aversatur. SEMPRONIVS vero, ob honestatem vitae, ob animi candorem, ob prudentiam, qua rem familia-rem

rem tractat, apud omnes bene audit. Vtque habet pri-vignum. Vtque privignus est impubes. Vtque impuberi tutor dandus est a magistratu. Hic vero an recte dabit CAIVM et SEMPRONIVM? Certe CAIVS, Tuo, Lector, et cuiusvis recte sentientis, iudicio, cui ego lubentissime accedam, mox reprobabitur. Ex qua vero causa? Non quia impuberis est vitricus, sed quia perditū eius mores eum redundunt suspectum. At ex hac causa quilibet alius, etiam consanguineus, a tutela est arcendus. Iam, ut de altero pri-vigno dicam, an huic SEMPRONIVM dari tutorem conveniet? Sponte consenties, imo suasor eris, ut detur. At est vitricus. Hoc Te non dimovet a sententia. Ex ipsa SEMPRONII honestate, ex eius candore et prudentia, quae eum commendat, omen capis, maximo pupilli commodo cessuram esse tutelae ad-ministrationem, quae deferatur SEMPRONIO. Et recte. Nam, quae VLPIANI¹⁾ est sententia, suspectus tutor tantum est is, qui MORIBVS talis est, ut suspectus sit. Ut distinctior fiat doctrina, accedat vitricus tertiae classis, IAVOLENVS, de cuius moribus magistratui plane non constat, cuius tamen pri-vignus, ob immaturam aetatem, tutore opus habet. Ma-gistratus circumspicit, quem det impuberi tutorem. Obvius est IAVOLENVS, qui declarat, se, si magistratui videatur, tutoris munus subiturn esse. An hic mox repellendus, quia est vitricus? Neutquam. Sed rem ager, quam agere solet alias, cum eligit tutorem, magistratus. Explorabit, quae fama, qui mores sint IAVOLENI. Inquiret in fidem et fa-cultates eius, et, si hominem frugi eum esse intellexerit, de-

B

feret

feret ei tutelam, neque ex vitri*c*i nomine exsculpet suspicio. nis argumentum.

i) L. 8. D. de suspectis tutoribus.

VIII.

HAEC videlicet, per species diversas, proposui, ut signifi- cem, nihil esse, quod vitricum, qua vitricum, sus- pectum reddat, et frustraneam esse illorum doctrinam, qui di- cunt, regulariter vitricum repellendum esse a tutela, eum ta- men admitti posse, praevia cause cognitione, si absit suspi- cio, si ille integrae sit famae, si cognati non habeant causam contradicendi. Certe, qui hoc docent, eo ipso ingenue fa- tentur, vitricum admitti posse, perinde, ut alius admittitur, et repelli eum debere ex iisdem causis, ob quas alius quilibet repellitur. Neminem enim, sive vitricus sit, sive alius, dabit tutorem magistratus sine aliqua cause cognitione, ne- minem, qui suspectus sit, neminem, cuius perversos mores accusent consanguinei pupilli. Si igitur magistratus in vitri- co, ad tutelam privigni sui adspirante, deprehendat corru- ptos mores, is, ex mente illorum Doctorum, a tutela erit arcendus, non quia est vitricus, sed quia mores eum suspe- cium reddit.

IX.

NONDVM vero superavimus difficultatem, quam nobis inie- cit ista Doctorum schola, quae tradit, IVRA in vitrico praesumere odium, insidias, malum affectum, consilia frau- dulenta,

dulenta, cetera. Videamus igitur, an illa superari possit. Auctoritati nihil dandum est in hoc argumento, cum ipsi illi Doctores sua auctoritate non confidant, sed IVRIVM fide ni-tantur. Sed quid? an credas, IVRA, quae alias in quolibet homine bonitatem et honestatem in dubio, non vero turpem affectum nec fraudulenta consilia, praesumunt, ^{a)} turpitudem animi et morum praesumere tantum in homine, qui nulla alia re VITRICI nomen meruit, quam quod viduam duxit, prole prioris matrimonii instructam? Tanti erit, ipsos iuris articulos, quibus hanc praefumtionem firmari dicunt, ^{x)} repe-ttere, et, quid rei lateat, explorare. ALEXANDER, Imperator, rescriptis Dionysodoro, tutori: ^{y)} *Educatio pupillorum tuorum nulli magis, quam matri eorum, si non VITRICVM EIS INDV-XERIT, committenda est.* Ne credas, ALEXANDRO, ita rescri-benti, suspectum visum fuisse affectum vitrici erga privi-gnum, intercedit aliud eiusdem ALEXANDRI rescriptum, su-pra §. VI. allegatum, ex quo, ut dixi, intelligitur, beni-gnius sensisse hunc Imperatorem de affectu vitrici. Alia ni-mirum, et quidem duplex, ratio latet. Tum enim Impera-tor diffidebat affectui ipsius matris, a quo, memor fragilitatis et inconstantiae muliebris, metuebat, ne, novi amoris aestu percita, curam educationis liberorum prioris matrimonii susque deque haberet, praesertim si novum matrimonium no-va prole foecundum esset. Tum etiam rescripti ratio sita est in odio, quo secundas nuptias prosequerantur Romani. Videlicet, ut feminas, praesertim eas, quae ex priori matri-monio liberos suscepserant, a secundo matrimonio cohibe-

rent, nunc praemia, nunc poenas, proponebant. ^{a)} Inter poenas, quae mulieri binubae imminebant, haec etiam referenda est, quod illa pro indigna haberetur, cui educatio liberorum, ex priori connubio quaesitorum, committeretur. ^{a)} Frustra igitur in hac ALEXANDRI constitutione prae sumptionis, quam contra Vitricum capiunt, fundamentum quaeritur. Idem dicendum est de rescripto GORDIANI, ^{b)} qui vitrico, Eutychiano, ita respondet: *Si PATERNO AFFECTV privignas tuas aluisti, nulla repetitio est, quodsi, ut repetiturus ea, quae in sumtum missi, aliquid erogasti, negotiorum gestorum tibi intentanda est actio.* Si vel decies relegeris haec rescripti verba, nullum vestigium repieres, quo significetur, GORDIANO suspectum visum fuisse Eutychiani, vitrici, affectum. Imo sunt, quibus videtur, GORDIANVM magis inclinasse in hanc sententiam, quod in dubio vitricus PATERNO AFFECTV privignas aluisse prae sumatur. Sic BACHOVIVS, ^{c)} sic OLEARIVS ^{d)} censuit. Sic superiori seculo iudicavit Scabinatus Lipsiensis, qui ad quæstionem, a vitrico propositam, respondit: ^{e)} *Dieweil dafür gebalten wird, wenn ein Stiefvater auf notbdürftigen Unterhalt seiner Stiefkinder etwas wendet, daß er solches pietatis causa gethan habe, auf welchen Fall die condicō indebiti nicht statt bat; So mögen eure Stiefkinder die an Kost und Kleidung auf sie gewendeten 200. Thaler euch wieder zu erstatten nicht angehalten werden.* Deinde CONSTANTINI Imperatoris constitutio^{f)} quidem seminarum secundo nubentium intemperantiam, qua ductae novis maritis plerumque res et vitam filio-

rum

rum addicunt, increpat; nolim tamen inde colligere, ex mente CONSTANTINI in novo marito, sive vitrico, praesumendum esse malum affectum erga privigni rem et vitam, quam ipsi uxor addixit. Denique GAI effatum g) de novercalibus delinimentis et instigationibus pertinet ad doctrinam de NOVERCAE erga privignum affectu, qui quodammodo suspectus esse creditur. Quis vero, nisi nostro sexui iniuriam inferre velit, ab affectu feminarum, quas fragilitas et imbecilitas sexus excusat, ad affectum maris, quem robur et corporis et animi commendat, ducet argumentum? Vides igitur, parum praefidii has leges afferre praesumptioni, quae contra vitricum capitur.

- a) L. 51. pr. D. pro focio.
- x) Vid. *supra* §. IV.
- y) in L. 1. C. ubi pupill. educ. deb.
- z) Dixi in *Diss. de feudis poenae* §. II.
- a) Vid. PETRI MÜLLERI *Diss. de odio secundarum auxiliarum*, Cap. IV. Th. 2.
- b) in L. 15. C. de negot. gest.
- c) REINERV BACHOVIVS ad TREVTLERI Vol. I. *Diss.* 10.
- d) IOANN. FRID. OLEARIVS in *Diss. de affectu viirici paterno*, Lipsiac Anno 1718. habita, in qua, ductu huius L. 15. C. de negot. gest. vitricorum causam strenue agit.
- e) IOANN. PHILIPPI *Vf. pract. Instit.* Lib. 3. Ecl. 92.
- f) L. 22. C. de administr. tut.
- g) L. 4. D. de inoff. testam.

X.

NEC praesumptioni huic robur aliquod conciliat quotidiana, ad quam provocant, experientia. Esto, multos ex ordi-

ne vitricorum pravis moribus regi, et hinc frequentissima esse domestica iurgia inter vitricos et privignos. Quis inde concludet, in quovis vitrico praesumendam esse pravitatem morum, nisi regulae iuris, quemlibet in dubio bonum praesumi, vim facere velit? Et quid? si opponam exempla multorum, qui, licet ex affinitatis vinculo nomen vitrici gererint, ipsa tamen re, nimirum affectu suo et studio in privignos, PATRIS nomen meruerunt, etiam apud Romanos. Exempla, quae in historia Romana prostant, adduxit PETRVS MÜLLERVS.^{b)} Praeterea etiam lapidum reliquiae testantur, non infrequentem apud Romanos fuisse concordiam inter privignos et vitricos. Testem produco Oratorem huius Academiae praestantissimum, IOANNEM GUILIELMVM DE BERGER, cuius discessum adhuc enixe lugemus. Hic in dissertatione funebri,ⁱ⁾ qualm in memoriam et laudem novercae cuiusdam religiosissimae scripsit, exempla novercarum, bene de privignis merentium, ex antiquis marmoribus eruit et exponit, deinde vero, in laudem vitricorum, addit: *Plura tamen sunt aetatis antiquae saxa, quae vitricorum, seu, ut nonnunquam loquuntur marmora, patrae strorum, erga privignos, seu, ut nominant hos interdum lapides, filiastrorum ac filiastras, bene merentes, privignas suauissimas, filias piissimas, benevolentiam testantur.* Deinde, ut de experientia seculi, cui nos intersumus, dicam, quis est nostrum, qui non vel ex consanguineis suis, vel ex amicis, vel ex aliis, quos novit, excitare possit nomina vitricorum, quos morum honestas, quos animi integritas

tas, publice commendat, quorum etiam affectus erga privignos paternum affectum aut vincit, aut aequat?

*h) MÜLLERVS in Diff. de odio secundarum nupiarum, Cap. ult. Th. 6. add.
CVIACIVS Obseru. Lib. VI. Obs. 29.*

i) DE BERGER Diff. Acad. XXVII. pag. 493.

XI.

Et, licet admittere velim, apud Romanos populare fuisse, odio habere vitrici nomen, eiusque affectui diffidere, nos tamen dedecet, his vestigiis infistere. Illi tot experimentis didicerant, funesta saepe privignis fuisse vitricorum consilia, et his interdum ipsas matres inductas fuisse, ut, ad accelerandam successionem ab intestato, exitium pararent liberis. Quid igitur mirum, quod populo suspecta visa fuerint consilia vitricorum. Sed fuit haec Romanae reipublicae macula. At in Germania, cuius incolas prisca fides, candor, et integritas commendat, merito exulat illa suspicio. Verissime iudicavit SIMON A GROENEWEGEN, *k) cum scripsit: Tetrica haec et funesta praesumptio, quod vitrici privignos suos odio prosequi, eorumque vitae infiditari velle credantur, licet forte iure merito cadat in Italos, a morum nostrorum simplicitate atque integritate aliena est, ideoque hodie pupilli passim educantur apud matrem, quamvis ad secunda vota transferit.* Addo, ideoque hodie vitricus privigno recte tutor datur a magistratu.

k) SIMON A GROENEWEGEN de Legibus abregatis ad Tit. Cod. Vbi pupill. educ. deb.

XII.

XII.

NEQUE Doctorum auctoritate et assensu destituitur haec doctrina. Ipse FINCKELTHAVSIUS,¹⁾ cui tutela vitrici suspecta videtur, excitat nomina ICtorum, qui anteriori aetate pro vitrico dixerunt sententiam. Ex iis, qui posteriori aetate patrocinium vitricis praestiterunt, praesertim nominandus est LÜDERVS MENCKENIVS, qui, vitrico tutelam imponi posse, sine limitatione, docet,²⁾ adiecta ratione, quod paternus affectus quoque cadat in vitricum, qua motum fuisse, commemorat, ICtorum Lipsiensium Ordinem, ut pro vitrico pronunciaret. Ceterum interest, meminisse, Cameram Imperii favere huic doctrinae, quae vitricum pro idoneo tute
reputat, eandemque, etiam extra Germaniam, in
provinciis Galliae vigere.³⁾

1) SIG. FINCKELTHAVSIUS Ols. 53. n. 12.

2) MENCKENIVS *Synops. Pandect. Lib. XXVI. Tit. I. § 3.*

3) OLEARIUS in *Diff. alleg. Cap. II. §. 4.*



ULB Halle
002 671 204

3



PA 20

B18



No: 78

1861

12

DE

VITRICO
TUTTORE PRIVIGNI
MINVS SVSPECTO

PRAE SIDE

ERNESTO MARTINO
CHLADENIO D

GESTI INFORTIATI ET NOVI PROFESSORE
PUBLICO ORDINARIO CVRIAEC PROVINCIALIS
CONSISTORII ECCLESIASTICI SCABINATVS
ET FACVLTATIS IVRIDICAE ITEMQVE IVDICII
PROVINCIALIS IN MARCHIONATV LVSATIAE

INFERIORIS ASSESSORE

DIE XII. OCTOBris A. R. S. cia 15 CCLXI.

IN AVDITORIO MAIORE

PVBЛИCE DISSERET

DOLPHVS EHREGOTT SCHEDLICH
SCHNEEBERGENSIS.

VITEMBERGAE

EX OFFICINA GERDESIANA.

